

CLARISSIMO VIRO,

DOMINO

GUIDONI PATINO

BELLOVACO,

*Doctori Medico Parisienſi, & Profeffori
Regio, amico ſuo Magno
ſalutem.*

CLARISSIME VIR,

CICERONIS ista gloriatio eſt: *Latinos omnia inveniſſe melius, quam Graecos;* aut ab illis accepta feciſſe meliora. Augusta profecto, & magno viro magnarumque rerum fiduciam habente digna! Quam & veram minimeque vanam deprehendit, quisquis à Romanis posteritati tradita comparat cum Graecis. Ne longum abeam, Oratorum quidem laus ita ducta fuit ab humili ad ſumnum: fuere & Philosophiae ſtudia ſic ad Latinos traducta, ut ne bibliothecis quidem Graecis eguerint. Neque vulgare eſt, quod de noſtra arte Celsus promeruit. Quam enim ab Hippocrate, ab Aſclepiade, ab aliis Graecorum plurimis accepit ſcribendi de Medicina materiam, hoc ipſo fecit meliorem, quod primus eam ſic conceperit, ut eſlet ad diſcendum aptior, ad faciendum promptior. Graecorum antea nemini, quod ſciam, id laudis datum, quod artem

P R A E F A T I O

artem redegerit in sistema, & corpus methodo constitutum. Celsus praefitit, & res facienda medicinae utiles ac solum necessarias ita ingeniose ac diligenter ex antiquis elegit, ita per partes digessit, hasque ipsas innexuit inter se, ut vel Recentiores inter non noverim, quem ipsi jure possis anteponere. Neque ad eam laudem resert, sermone tantum, an etiam opere fuerit medicus. Si enim coire ista semper necesse est, quotusquisque hodie medicus est? Cathedrarios quippe videoas medicinae scientiam plerumque subtilius, quam ex usu, excolere, atque hoc per ambitionem, quam vocant veri scrutationem, agere, ut ingenio & facundia videntur. Contra, qui quaestui serviunt, bengnari, morbos non eloquentia, sed remediis curari, ut populo placeant, ex quo ille major est, sufficere credunt secreta jactare & his curatorum longas ostentare tabellas. Hippocrates certe pro Medicis habet, qui veram artis sibi cognitionem compararunt: sed transferre ad usum suadet, & fructum eorum, quorum gratia est inventa. Saperene putandus est, qui lucernam accendit, & subter modium ponit? Sapit, & bene de se ac proximo meretur, qui accensam imponit candelabro, ut alluceat omnibus, qui sunt in domo. Caeterum hoc dubitare de Celso docti solent, fueritne in operibus Artis exercitatus. Quo de quia meam aliquando sententiam rogasti, dicam paucis. Magnum quid medendi scientia est: majus, prudentia atque sapientia, illa quippe scientiae oculus; haec manus est. Absque prudentia si est, neque tempora lustra re Medicus rei bene gerendae, neque praecipites

P R A E F A T I O.

tes captare occasiones potest. Absque sapientia si est, tractare homines ignorat, & suo quemque calopodio calceare. Ut vero scientia nisi discendo, hoc est, legendo, audiendo, cogitando; ita prudentia & sapientia, nisi faciendo & rebus se gerendis accommodando, non comparantur. Ex artis scientia Celsus si venit aestimandus, vix persuaderi potest, ut is non habeatur pro Medico, & quidem usu longo atque exercitatione perfecto, qui suis scriptis Medicinae intima penetralia subiisse, abdita quaeque enucleasse, penitus abstrusa rimatum esse, suam ubique de iis sententiam interponendo se prodit. Quod esse judicium novisti ejus, qui praefatus olim ad Rubeum fuit. Probum mihi, & ex toto probatum. Si, quae in nullius non morbi curatione eluent, prudentiam atque sapientiam spectemus ubi, te quaeſo, unum Hippocratem si excipias, atriusque aut salubriora praecepta, aut fideliora monita reperiſti? Quae, si numquam noster venit in rem, quemadmodum fuit affecutus? Putasne secreta atque arcana artis, hoc est, intimas & occultas ad salutem cujusque pertinentes rationes scire posse eum, qui in conclave numquam penetravit? Quae sola felicis ingenii magnitudine complexum, & ob id alieni operis interpretem atque Hippocratis ejusque sectatorum discipulum, & exscriptorem habendum esse potius, quam medicinae aliquem auctorem, judicium est viri egregie eruditii. Cui per me subscribere, quibus libet, licet. nam à me non impetro. Si rectum tamen, heu! quantos auctores amisimus! Ex toto quippe Galeni oceano, si dicere per invidiam fas est,

non

P R A E F A T I O.

non tot interiora medendi consilia quis hauserit,
quam ex ubere hoc Cornelii rivo. Fateor, plus
est in Galenō florū, ut & foliorū: sed fru-
ctuum plus in Celso est. Taceo multis locis sic
illum loqui, ut, se fecisse medicinam, liquido
satis demonstret: nullo sic, ut contrarium inde
queat liquere. Solum obſtare videtur, quod Plinius
sua aetate, hoc est, centum & viginti prae-
ter propter annis post, solam hanc artium Grae-
carum nondum exercuisse scribit Romanam gra-
vitatem, & in tanto fructu paucissimos Quiri-
tum attigisse, eosque ipſos statim ad Graecos
transfugisse; imo vero auctoritatē aliter quam
Graece eam tractantibus, etiam apud imperio-
res expertesque linguae, non fuisse. Si ex vero
iſta; ſicuti cauſam non credendi non habemus
oculato teſti, quei credimus Celsum, ex gente
Cornelia, omnium Romae nobilissima, oriundum,
factitasle artem, populus quam expertus
damnavit? Non hoc ulli volo perſuafum, fuisse
ἐκ τῶν περισσευτῶν, quos vocat Modeſtinus l. 6.
§. 1. ff. de Excusionibus; atque adeo ſolitum
αὐτὸς τὴν πόλιν φοιτᾶν, & aegros visitatum cir-
cuire mercedis cauſa. M. Catonem meminit
idem Secundus profeffum, effe commentarium
ſibi, quo mederetur filio, ſervis, familiaribus,
Nec alia ratione medicinam exercuisse Cornelium
puto; nec apud alios, niſi forte quod nonne-
mini video placere, in gravioribus caſibus fit
paſſus fe adiri, & eam rogari operam, quae
virum nobilem non dedecet. Verbo: talem
opinor fuisse Medicum, qualis Cato fuit, aut
quales ſunt hodieque Regum archiatri. Qui, etſi
non omnibus vigilant, miſerabilibus tamen per-
fonis,

P R A E F A T I O.

sonis, & ad se, ceu Æsculapium aliquem, confugientibus suam negare opem non sustinent; scientes, nulla re hominem magis accedere ad Deum, quam salutem hominibus dando. Praeter haec, quae aut dici in eamdem sententiam, aut objici possunt, jam sunt ab aliis vel occupata vel refutata: ut necesse non sit illis repetendis vel tempus prodigere, vel doctas tuas aures & gravioribus intentas curis obtundere. Hoc unum dicam, qualis qualis noster fuerit, dignissimus est, vel doctrinae cultu, vel elegantiæ nitore, non solum, qui legatur, sed qui numquam de manibus deponatur. Me, fateor, nullius post Hippocratem lectione vel affici magis, vel erudiri. Quo factum, ut & saepius relegerim, & numquam sine voto, existeret aliquis, qui aut daret eum nobis quam emendatissimum, aut emendandi materiam suppeditaret. Quam tuo tandem beneficio consecutus nobilem & locupletem, statim operi admovi manum; quo & meae satisfacerem cupiditati, & expectationi eorum, apud quos nulla non occasione & laudare Cornelium nostrum, & serio commendare sum solitus. Quam autem feliciter mihi res sub manu successerit, te velim vel in primis judicare. Nam haec inter plurimas mihi causa est, quod Celsum istum, quem meum imagine quadam adoptionis feci, celeberrimo tuo nomini, & multis mihi nominibus suscipiendo colendoque consecrarim. In seculi quippe hujus & tam antiquitatis fastidiosi, quam novitatis omnis cupidi, conspectum proditur item, nec sine patrono ausum, cuius in clientelam potius, quam tuam debui dare? Absque

*** 2

illis

P R A E F A T I O.

illis certe subsidiis, quae mihi numquam sine summa laude loquendum studium tuum juvandi publicum tulit, si fuislet, vel animum non applicuisse ad recognitionem Auctoris ut eruditissimi, ita & corruptissimi. Quis credat, post Egnatii, Caesarii, Constantini, Stephani, Pantini, Ronfsei, Rubei, tot illustrium virorum diligentissimas curas, fuisse mihi plusquam bis mille locis corrigendum? Quo ipso quia fecisse me opus putabam non poenitendum, aut tuo nomine & seculo indignum, etiam hoc ausus sum illi inscribere, quamvis non ignorem multo plura majoraque me debere amori & beneficiis in me tuis. Itaque te rogo; Vir Clarissime, hanc cautionem accipere crediti, & animi ad omnem se gratitudinis memoriam obligantis. Certe hunc, quem eo vultu, quo omnes literatos soles amplecti, suscipiendum tibi offero, si non industriae, saltem laboris mei foetum, testem esse volo, quanti & sim & in perpetuum tibi sim futurus debitor. Deus autem immortalis diu te hospitem atque incolumem Rei medicæ, literariae, publicae, imo mihi & omnibus bonis conservet. Dabam Lugduni Batav. Mense Augusto, anni cœl. cœl. lxxvii.

*Tui nominis atque dignitatis
cultur propensissimus*

J O H. A N T O N I D E S
V A N D E R L I N D E N.

LECTO.